



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 101. ad 125.

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1764**

**VD18 15558428-001**

Psalmus CXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53433)

**T**itulus : *Canticum graduum.*

Argumentum : *secundus Psalmus ex gradualibus consolatur peregrinos, ascendentes in Jerusalem, promittens perpetuam Dei custodiam. Ac primum loquitur Propheta in personâ peregrini; deinde loquitur in personâ propriâ, & consolatur peregrinum.*

ÿ. 1. *Levavi oculos meos in montes : unde veniet auxilium mihi.*

Peregrini nihil frequentius aspiciunt, quam locum, ad quem tendunt, si conspici possit; sin minus, locum aliquem viciniorem; accepta inde consolatio vires addit ad iter. Et quia terrena Jerusalem in montibus erat, & cælestis Jerusalem supra omnes cælos est, ideo peregrinus sive umbraticus, sive verus ait : *Levavi oculos meos in montes. Ubi sedet civitas sancta, unde veniet mihi auxilium consolationis.*

ÿ. 2. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram.*

Docet peregrinus, se non expectare auxilium à montibus, ad quos oculos levavit, sed ab eo, qui præsidet S. Civitati in montibus posita: & verum Deum describit per opus creationis.

ÿ. 3.

ψ. 3. *Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet, qui custodit te.*

Loquitur David in personâ propriâ, & respondet peregrino. Bene, & sapienter oculos levasti in montes, & , prætermisissis vanitatibus in viâ occurrentibus, à Deo opem expectasti; opto tibi, ut Deus non sinat te labi in viâ, sed roboret pedes tuos, ut stabiles in cursu ad patriam perseverent: opto etiam & rogo, ut Pater, qui est custos tuus, non dormitet h.e. non sinat commoveri pedes tuos.

ψ. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.*

Promittit peregrino impetrationem gratiæ petitiæ. Oro, ut Pater non dormitet, qui te custodiendum suscepit: nam nec dormitat, nec dormit, qui custodit Israel, h. e. populum suum peculiarem, seu quemlibet in hoc Mundo peregrinantem, & ad patriam cælestem ascendere festinantem. Dormitare est oculos subinde claudere, & aperire; dormire se profundo somno tradere.

ψ. 5. *Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.*

ψ. 6. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.*

Addit nunc aliam consolationem. Domi-

nus non solum custodit Israelem, seu populum suum universè, sed & te in particulari, quia tibi erit *protectio*, hebraicè umbraculum, quod manu dextera tenere, & te totum tegere poterit, ne sol urat te per diem, nec luna per noctem. Hæ metaphora significant gratiam Dei, peregrinum custodientem tempore prosperitatis, & adversitatis: nec enim minùs laedere solet in hac viâ dies prosperitatis, quàm nox adversitatis.

*ψ. 7. Dominus custodit te ab omni malo. custodiat animam tuam Dominus.*

Addit aliam consolationem, eamque generalem. Non solum Dominus custodiet te, ne cadas, & ne fatigeris; sed ab omni alio malo, quod in viâ occurrere possit, te proteget, ut vita tua incolumis omnino toto in itinere conservetur.

*ψ. 8. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc, & usque in seculum.*

Concludit addendo ultimam, & optatissimam consolationem. Non solum Dominus in aliquâ parte itineris, sed in toto itinere te semper custodiet.

PSALMUS CXXI.

**T**itulus, & argumentum: *Canticum graduum.*

*Tertius*